

sen transmittere nullatenus debeatis, sicut nos offendere formidatis, aliud non facturi. Datum in Visegrad in con...nis beati Jacobi Apostoli. Anno domini Millesimo C^oC^oC^o X^oX^o nono.

Originalis membrana in Archivio Regni Croatiae.

LXXXIV.

Anno 1334. IV. Non. Junii.

Carolus M. Donch, Comiti Zoliensi, castrum Comarom loco castrorum Strigov et Čaktornja, in insula inter Muram et Dravum sitorum, donat.

Karolus, Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Servie, Galicie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque Rex, Princeps Sallernitanus et honoris ac montis Sancti Angeli Dominus. Omnibus Christi fidelibus, presentibus pariter et futuris, noticiam presentium habituris, salutem in omnium salutis largitore. Cum bene meritis fauor debitus impenditur, et sinus dilectionis panditur, fideliterque obsequentibus digna merces redditur, Deus placari creditur, et subditi ad fidelitatis opera exercenda facilius inuitantur, accenduntur, que sub spe et desiderio retributionis amplioris. Proinde ad universorum tam presencium quam futurorum noticiam volumus pervenire: quod cum nos nobili viro Magistro Donch, filio Dominici, Comiti de Zolio, fidei nostro, mediantibus litteris honorabilium virorum Capituli scilicet Ecclesiae Strigoniensis privilegialibus in permutacionem castri Arua, nuncupati, quod idem nobis et nostris heredibus, sive successoribus restituit et reliquit cum toto districtu eiusdem et suis pertinenciis universis ac singulis perpetuo possidendum, tenendum pariter et habendum, quedam castra nostra Strigow et Chaakturnya nominata, intra fluvios Drava et Mura habita et situata, similiter cum suis districtibus et pertinenciis universis, ac tenutis ad eandem spectantibus, dedissemus et tradidissemus perpetuo in filios filiorum eiusdem possidenda; que quidem castra idem pleno iure sibi statuta pluribus diebus titulo dicte permutacionis habuisset et tenuisset, tandem idem magister Donch ad nostram accedens presentiam, exposuit nobis humiliter, supplicando, quod castrum Camarun nuncupatum, in comitatu ad Camarun, in insula Danubii habitum, propter hoc, vt ipse ad nos, in curia nostra propius fieri possit, et debeat, ac sua nobis fidelia seruicia magis continue erga nos existendo commodius valeat frequentare, sibi magis vtile, quam predicta castra Strigow et Chakturnya vocata, vt premittitur, in permutacionem castri Arua nominati, per nos sibi date fore inspexisset, et pariter estimasset; petens vt predictum castrum nostrum Camarun vocatum in permutacionem iam dictorum castrorum Strigow et Chakturnya dare sibi de benignitate